

## QUÆSTIO LIX.

### DE VOLUNTATE ANGELORUM.

#### SUMMA LITTERÆ.

Expedito omni eo quod pertinet ad intellectum Angeli, ipso ordine doctrinæ transit D. Thomas ad ea quæ de ipsorum voluntate agenda sunt. Et in hac quæstione agit de ipsa voluntate eorum per quatuor articulos; in sequenti de actu voluntatis, qui est amor per quinque.

In primo ergo articulo ostendit dari in Angelis voluntatem, quia datur inclinatio consecuta ad naturam cognoscentem, regulatamque cognitione, et non cognitione sensitiva, quæ in eis non est, sed intellectiva: ergo habent voluntatem.

In articulo secundo ostendit hanc potentiam voluntatis distingui in Angelis ab intellectu, et a natura eorum. Distinguitur quidem a natura, quia prædicata constitutiva naturæ intra ipsam includuntur, nec ad aliquid extra se respiciunt, vel ab eo specificantur. Voluntas autem tendit ad aliquid extra, quia est inclinatio in bonum non solum proprium, sed etiam extrinsecum. Ab intellectu autem distinguitur, quia intellectus cognoscit trahendo res ad se, voluntas tendendo, et impellendo se ad illas. Diversæ autem virtutis est trahere res ad se intelligibiliter, aut in eas ut sunt in se, tendere; nisi sit virtus increata, quæ intra se habet omne bonum, nec indiget aliquo extra se, neque ad intelligendum, neque ad volendum.

In articulo tertio ostendit in Angelis esse liberum arbitrium, idque multo excellentius, quam in nobis, quia est in ipsis altior intellectus cum majori universalitate, et indifferentia respiciens objectum suum, ex indifferentia autem iudicii circa bonum nascitur libertas in voluntate ad tendendum.

In articulo quarto ostendit non distingui in Angelis appetitum concupiscibilem, et irascibilem, neque sicut in nobis, in quibus distinguuntur isti appetitus in parte sensitiva, qua caret Angelus, neque ullo alio modo, quia voluntas est appetitus boni secundum universalem rationem boni, unde non potest dari appetitus in parte intellectiva, seu voluntas, quæ distinguatur penes bona particularia.

## QUÆSTIO LX.

### DE AMORE ET DILECTIONE ANGELORUM.

#### SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo ostendit quod in Angelis est amor naturalis erga aliqua objecta. Et sumitur ly naturalis non pro appetitu innato, sed pro actu appetitus elicit, qui tamen procedit necessario, et non libere ab ipso.

Et ratio est, quia in omni natura datur aliqua inclinatio juxta modum talis naturæ, eique adæquata, et proportionata, quæ necessario illi convenit: ergo et in natura intellectiva debet talis inclinatio non deesse.

In articulo secundo ostendit dari etiam in Angelis dilectionem electivam, id est, liberam, et ex arbitrio procedens, non ex necessitate: licet enim aliqua debeat voluntas naturaliter appetere, sicut fines, aliqua tamen elective, et libere appetit, sicut media, quia media non de necessitate simpliciter appetuntur, sed propter aliud, et ut conducunt ad aliud; illud autem aliud propter se appetitur, et non propter aliud: sic enim esset abire in infinitum: ergo aliqua debet libere appetere, scilicet quæ in se non habent bonitatem necessariam, et propter se appetibilem, alia autem naturaliter, scilicet quæ ratione sui appetuntur, et ex immediata adæquatione cum voluntate. Intelligitur appeti necessario quoad specificationem.

In articulo tertio ostendit quod Angelus seipsum diligit, tum naturali dilectione, tum electiva. Naturali quidem, in quantum naturali appetitu aliquod bonum sibi diligit, ut esse, vivere, etc. Electiva autem in quantum aliquod bonum libere sibi vult.

In articulo quarto ostendit quod alium Angelum etiam diligit naturali dilectione sicut seipsum, in quantum convenit secum in natura; sic enim diligit illum sicut se, et sicut suam naturam, in qua alter convenit: diligit etiam libere, in quantum ab eo differt, vel in aliquibus aliis quam in natura convenit secum.

In articulo quinto ostendit quod naturali dilectione plus, et principalius diligit Angelus, et homo Deum, quam seipsum, quia naturalis habitudo, et inclinatio plus est ad bonum totale, et universale, quam ad partem, cum magis ex toto dependeat conservatio partis, ideoque naturaliter partem exponit natura pro conservatione totius. Deus autem est universale bonum, Angelus autem pars. Plus ergo natura Angeli tendit in Deum, quam in se.

## QUÆSTIO LXI.

### DE PRODUCTIONE ANGELORUM IN ESSE NATURÆ.

Explicata natura Angeli, ejusque proprietatibus, sequitur agere de productione in esse. Et primo in esse naturæ, secundo in esse gratiæ.

In primo ergo articulo ostendit Angelos habere causam sui esse, quia sunt creaturæ, et entia per participationem, solus autem est suum esse, et a se.

In articulo secundo ostendit Angelum non esse productum ab æterno, quia nihil ab æterno productum est a Deo, ut fides docet, sed cuncta facta sunt in tempore postquam nihil fuerunt.

In articulo tertio ostendit nec etiam fuisse Angelos creatos ante mundum corporeum, sed cum hoc universo in principio temporis factos fuisse, quia pars sunt universi, et unum faciunt cum natura corporea, quamvis contrarium non sit errorem, præsertim propter auctoritatem Nazianzeni.

In articulo quarto ostendit creatos fuisse Angelos in cælo empyreo, quia si creati sunt cum ordine ad hoc universum in aliqua illius parte creari

debuerunt, et cum sint omni creatura corporali superiores, eique præsidentes, in supremo quod est cælum empyreum debuerunt creari : quamvis etiam dici possit quod superiores Angeli in supremo corpore, alii autem in inferioribus corporibus sint creati.

## QUÆSTIO LXII.

### DE PERFECTIONE ANGELORUM IN ESSE GRATIÆ, ET GLORIÆ.

#### SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo ostendit D. Thomas quod Angeli non sunt creati in beatitudine supernaturali, quia hæc beatitudo non est aliquid naturæ, sed finis superior naturæ acquirendus per merita : non ergo in illa sunt creati, bene tamen in felicitate naturali.

In articulo secundo ostendit quod Angelus indiguerit gratia ad convertendum se in Deum supernaturaliter, eo quod inclinatio ad id quod est super naturam non potest oriri nisi ab aliquo principio supernaturali moveatur talis natura, sicut calor non potest generare carnem, ut movetur ab igne, sed ut movetur ab anima : ergo nulla creatura rationalis potest habere motum ordinatum ad supernaturalem beatitudinem, nisi ut movetur a supernaturali agente, et hoc vocatur auxilium gratiæ.

In articulo tertio ostendit quod Angeli creati sunt in gratia, utpote magis consonum dictis sanctorum. Et quia gratia dicitur semen Dei i Joann. III, sicut in prima creatione corporalis creaturæ inditæ sunt illi rationes seminales omnium effectuum naturalium, ita conveniens fuit, quod intellectuali creaturæ infunderentur a principio seminales rationes effectuum supernaturalium, quia ad illos ordinabatur.

In articulo quarto ostendit Angelum suam beatitudinem meruisse, quia beatitudo est finis excedens totam naturam ; et sic non oritur ex ipsa natura, sed ex dono Dei habetur tamquam præmium virtutis : ergo oportet quod meritum præcedat ad illam ex parte ejus qui assequitur beatitudinem. Unde etiam propter hoc oportuit quod gratia esset in Angelis ante gloriam.

In articulo quinto ostendit quod Angeli statim post unum actum meritorium habuerunt beatitudinem, quia proprius modus operandi in Angelis est, quod suam perfectionem non acquirant per discursum, seu per multos actus transeundo de imperfecto ad perfectum, sed quod statim habeant totam perfectionem, quæ sibi debetur, aut datur : ergo cum iste modus non destruat a gratia, sed perficiatur, oportuit quod etiam in supernaturalibus non per multos actus acquirat suam perfectionem, sed per unicum habeat id quod nos per plures.

In articulo sexto ostendit quod Angeli habuerunt gratiam, et gloriam, juxta quantitatem suorum naturalium, non quia natura fuerit dispositio ad gratiam, sed quia Deus sua voluntate, et gratia ita disposuit diversos gradus in natura angelica quod illos ad diversos etiam gradus gratiæ ordinavit, quia gratia modo agendi naturæ se accommodat, natura autem

Angeli quanto superior est, tanto efficacius operatur; et sic etiam gratia intensiori vi illam movet.

In articulo septimo ostendit quod in Angelis beatis remanet conditio, et dilectio naturalis, quia per beatitudinem non destruitur, sed salvatur natura : ergo et actus naturæ, quæ est operatio naturalis.

In articulo octavo ostendit quod Angelus beatus non potest peccare, quia nullus beatus potest aliquid operari relinquendo vel omittendo visionem Dei, sed attendendo ad illam ; nullus autem attendens ad Deum in sua operatione potest peccare, quia peccatum contingit ex defectu, et aversione a regula, quæ est Deus.

In articulo nono ostendit quod Angeli beati non possunt proficere in beatitudine quantum ad hoc quod videant Deum clarius aut melius, quia beatitudo est finis ultimus ultra quem non est progressus, unde acquisito fine ultimo in eo termino qui a Deo præfigitur, non est ulterior progressus.

## QUÆSTIO LXIII.

### DE ANGELORUM MALITIA.

#### SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo ostendit D. Thomas quod in Angelis, sicut et in qualibet creatura potest esse peccatum, quia quælibet creatura considerata ex sua natura non habet sibi inhærentem regulam suæ rectitudinis, quia hæc est voluntas divina : unde potest ab ea deficere pro sua libertate.

In articulo secundo ostendit quod in Angelis solum est peccatum superbiæ, et invidiæ quantum ad effectum, quia effectus spiritualis substantiæ directe non est ad bona corporalia, sed ad bona spiritualia, in quibus non est peccatum, nisi in quantum in eis appetendis superioris regula non servatur, quod proprie pertinet ad superbiam, quæ renuit subjici ordini superioris, ex quo sequitur peccatum invidiæ. Possunt tamen alia peccata esse in dæmonibus secundum reatum in quantum ad illa inducunt homines.

In articulo tertio ostendit quod diabolus appetierit esse ut Deus, non quidem per æqualitatem in gradu naturæ, quia hoc erat impossibile, sed per similitudinem, non quidem in eo in quo creatura debet imitari Deum, quod est in exercitio virtutum, sed quantum ad hoc in quo Deus non est imitabilis, ut quod voluerit habere ultimum finem, non emendando illum a Deo per gratiam, sed ex sua natura, vel saltem renuendo illum habere ex liberalitate Dei, et solum remanendo in sua naturali felicitate.

In articulo quarto ostendit quod dæmones non sunt naturaliter mali, sed ex libero arbitrio, quia natura eorum a Deo facta est, et ordinata in bonum : ergo non est ex sua natura malus.

In articulo quinto ostendit quod istam culpam ex libero arbitrio non habuerit Angelus in primo instanti suæ creationis, eo quod operatio, quæ incipit cum esse rei, provenit ipsi a suo generante. Unde non potest esse defectuosa illa prima operatio, nisi generans a quo movetur defectuose